

**Dissertatio medica inauguralis de delirio trementi ... / eruditorum examini
subjicit Arthurus Mower.**

Contributors

Mower, Arthur, -1837.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/w3zqcnaq>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATION
IN AUCTORITATE

DELIRIO

ASSISTENTE

DE UNIVERSITATE

D. GEORGI

ACADEMIAE

ACADEMIAE SENATUS

SCIENTIARUM FACULT

Pro Grad

STUDII IN MEDICINA

DATE ET LOCUS

TRINITY

ARTHUR

IN HONORE AUGUSTI

EDIN

EXCUBER

MD

(9.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DELIRIO TREMENTI;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
ARTHURUS MOWER,
ANGLUS.

IV. NONAS AUGUSTAS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX

DISSERTATIO MEDICA

IN ANGUILLAS

DE

DELIRIO TREMENTI

AVCTORE

ADRIANO DE VRIES

ET ALIIS

D. GEORGI BAIRD, M.D.

PROFESSORIS MEDICINAE

IN

ACADEMIA MEDICA

PARISIENSIS

PARISIENSIS

AVCTORE IN MEDICINAM HONORIS DE

PARISIENSIS

PARISIENSIS

PARISIENSIS

PARISIENSIS

PARISIENSIS

PARISIENSIS

PARISIENSIS

PARISIENSIS

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DELIRIO TREMENTI.

Auctore ARTHURO MOWER.

NATURALES functiones hanc legem observare videntur, ut cuique humani corporis organo diu et plus æquo stimulado, morbus inducatur. Genitalibus organis, ventriculo et cerebro, hoc evenire videre est.

Ad hæc organa stimulantibus validis diu admotis, imminutæ primo, dein fractæ sunt eorum vires, et tandem affectiones morbosæ inducuntur, quibus mens, totumque corpus afficitur.

Studiis ex intentioribus, oriuntur mentis aberrationes et mania; ex venere nimis frequenti, animi imbecillitas, atque impotentia; ex intemperantia, delirium tremens.

Ventriculus tum in corpore tum in mente, plurimum potest; quo male se habente, ambo ægrotant. In dyspepsia, hypochondriasique, hoc mirum in modum cernitur. Iis eorum morbis voluntas et iudicium subjiciuntur; indoles mutata, et pro morum suavitate benignitate, in suos caritate, succedunt ira, mœstitia, morositas, cæcus amor sui, aliorumque incuria.

In nullo forsitan morbo latius dominatur ventriculus, quam in hypochondriasi.

Longe ante hunc morbum in maniam desinentem, adsunt ea pravæ concoctionis signa, quæ ad quam causam mania referenda est, clare ostendunt: Musculorum abdominalium contractiones spasmodicæ, ructus, flatus, caloris alternatio et frigoris, vertigo, vomitus cum dyspepsiæ symptomatis; et quod ad mentem attinet, perceptiones falsæ, in abdomine interdum animalis vel diaboli sensatio, anxietas, magna metus ex

causis non æquis, et animus sibi perpetuo intentus. Omnes ventriculi morbi, mentis aberrationem quemquam inducunt, et gravior et magis est manifesta ea aberratio, ut ventriculi vires imminuantur, ejusque functiones impediantur. Quæ ventriculo mala inducunt, frequentissimæ sunt in eum injecta stimulantia. Ex stimulantibus quibus utuntur homines, notandi liquores spirituosi aut vinosi; quorum in ventriculo vix diluta, magna copia effusa, cito inducitur sopor, apoplexia, et mors. Multos cita mors rapuit, qui pecunia inducti se alcoholi brevi tempore madefecere. Si alcohol bene dilutum est, ejusque vel vini magna fit potatio, quædam mens et corpus exhibent phænomena, quæ hominem ebrium esse designant. In hoc ebrietatis statu magis aberrat mens, quam ægrotat corpus. Quicquid dicat aut faciat ebrius, delirium adesse plane demonstrat. Nec amicos cognoscit, nec cursu recto ambulare potest, sed hic et illic vacillat, et in luto sese pervolvit *. Non a porco

* “Voilà un bel ame à être immortel!”

nisi forma et malignitate sua multum differt. Tandem ut porcus dormit, et somno vel stupore obrutus, multas post horas sine delirio expergiscitur. Tunc ex ventriculo percipiuntur affectiones morbosæ, viz. nausea, vomitus, cibi fastidium, cardialgia, studiorum aversio, homo vix ullæ meditationis capax. Si non repetita est potatio, hæc cito evanescunt signa; sed iterum potus, iterum ebrietas, donec bibendi et sese inebriandi consuetudo confirmatur. Dein signis supra dictis, superveniunt debilitas, irritatio magna, memoriæ defectus, morositas, malignitatis plurimum; perceptiones quibusdam falsæ, et tremores; quia ebrietatis spasmi, sæpe redintegrati, in tremores desinunt.

Post vini ingurgitationem magnam nonnunquam apparet morbus, quem Galli "Ivresse" "convulsif*" nominarunt; raro, ut credo, in Britannia visus. Horis paucis, post ingurgitationem, se manifestum reddit. Ebrius domum ambulare potest, et non in eo observanda nisi

* Dictionnaire des Sciences Medicales, Art. *Ivresse*.

intemperantiæ signa communia. Sed paulo post, calorem in ventriculo ardentem sentit; mens adhuc vacillans, subito et penitus aberrat. Frontis dolor acutus, et manum instinctu quodam applicat æger, ad eum allevandum; splendent oculi, cum aspectu truci, phrenesis imminens signa; spiritus longus et difficilis; adsunt nausea et tendinum subsultus; superveniunt convulsionες, interdum in somno vel stupore sese subito ostendentes, et, si solus sit æger, forsā se per fenestrum præcipitet, vel supra pavimentum sese injiciat, cæco sui perdendi amore; vel caput contra muros aut lectum allidet.

Hac in regione, ubi minus facile excitantur homines, vix potationi ulli quanquam permagnæ, succedit is morbus. Ex ebrietatis tamen consuetudine, animo et corpori affectiones morboæ inducuntur chronicæ, quæ causis ex diversis ingravescent, vel subito in morbos mutantur acutos, maniam, epilepsiam, apoplexiam, et delirium tremens.

DELIRIUM TREMENS accidere potest si subito negentur ventriculo potationes solitæ, ex fri-

gore* interdum oritur, et causis occultis, de ebriosis habitu pendentibus. Morbum impendentem primum indicat ventriculus. Symptomata nausea, cibi fastidium, in epigastrio ponderis sensus, præcordiorum dolores, interdum vomitus, pellita lingua, et sudor glutinosus frigidusque. Febris interdum signa observantur; lassitudo, debilitas, rigores, dolor capitis, vultus anxietas, pulsus ob tendinum subsultus difficilis numeratu, sed plerumque frequens, usque ad centum quinquaginta, centum sexaginta, vel centum octoginta. Sed afficitur arteria brachialis tremulo motu, tendinum subsultui similis; hinc pulsationes valde indistinctæ. Mentis facultates multum sunt læsæ. Memoria fere nulla est. Credit æger sibi esse negotia urgentia; cupit ad locum quemdam properare. Quidam credunt se bonis exui, et mortem veneno, aliis aut modis, iis impendere. Ante oculos videntur quædam versari horribilia, vermes supra lectum vel in vestitus serpentes. Memora-

* Case in Lond. Med Rep. vol. iv. p. 459.

tur quidam *, qui atratus stetit ad suprema officia fungenda, ejus sacculos credit plenos esse avium, et insecta e vestitibus purgando se occupavit, quæ muribus parvis assimilavit. Aliis qui affirmavit ejus tecti aulæa avibus tegi colorum diversorum; machinum belli rogavit, ut inures quorum angulo conclavis millia vidit, cito interficeret. In atrium dein ire cupiit, ut milites quosdam Indianos abire juberet. "Eos," dixit, "magnas arbores ante domum plantando totum diem occupavisse." Computationibus† ægri sæpe sunt intenti, de ædificiis vel pecunia colligenda loquentes. Si iis in rebus occupatis profertus sermo, ei vel non attendunt, vel se perturbari ægre ferunt. Negotiis instantibus aut valde occupantur, aut periculis, conjurationibus et talibus animos attendunt. Ipsorum sententiis pertinaciter adhærescunt, et proni sunt ad iram. Sed interrogati distincte in-

* Med. Jour. vol. xxxi. p. 40.

† ARMSTRONG, in his work on Typhus Fever, p. 312.

terdum et placide respondent, si erga eos comiter te geras. Si indesinenter interrogati sint, disjunctum cito respondent, et iterum manifestum delirium. Nominibus rerum falsis utuntur; familiares plerumque agnoscunt, eos tamen causas ob minimas, probris et contumeliis onerant, et de aliis opem postulant.

Si gravia sunt hujus morbi symptomata, dierum quatuor vel decem spatio ad finem perducuntur. Quædam vidi exempla, dixit ARMSTRONG, in quibus morbus hebdomadas sex durabat. Ex his duo maniam confirmatam ostenderunt. Sic non dubitandum, hunc morbum in maniam transire. Si non supervenit sanitas primi initio mensis, metuendum mentis alienationem diu manentem. Si ineunte morbo in somno alto et longo quiescat æger, non longum post tempus sanus devenit. Inter signa periculosissima, comæ vel convulsionum symptomata; pervigilium perpetuum; irritatio magna; impetus magni; et sæpe redintegrati; pulsus valde debilis et parvus; vomitus frequens; cutis valde frigida; tendinum subsultus, et pupillarum

magna contractio, cum strabismo, sunt numeranda.

Ex ebrietate hepar cum ventriculo affici videtur, et ex potationibus assiduis, ut ait STONE*, hoc viscus ita laborat, ut medicis mala ventriculo inducta minora esse videntur. Dominus BIDWELL casum nobis dedit†, in quo delirium tremens causa excitans, primum hepatis morbum induxit. Dominus S. quadraginta annos natus, semper plus justo potaverat, et per sex annos frequenter ebrius factus erat, quæ res sanitati multum obstabat. Hepar valde obduruerat et in amplitudinem creverat, ut palpante sentiretur manu, et venæ in hypochondrii dextri superficie varicosæ factæ erant. Hoc ex statu morbo, ebriis communi, frequenter impeditæ sunt hepatis functiones, mercurialibus autem et purgantibus adhuc sublevatæ sunt.

* Practical Treatise on the Diseases of the Stomach, and of Digestion, p. 94. edit. 1816.

† Lond. Med. Rep. vol. iv. p. 459.

Julii kalendis tempore pluviali, quidam millia de domo passuum equitavit, et sero nocte reversus est, ex ebrietate stupefactus et pluvio madidus, quippe qui via erraverat, et quasdam horas milliaria septem equitando consumpserat. Eum die sequente vidi, quum de cardialgia, siti levi, anorexia, et lassitudine trementi querebatur; ei etiam adfuit rigor levis, cui supervenit cutis aspera et calida, lingua pellita, sed madida et non contracta, pulsus non frequentior sed solito debilior. Cutis semper subflava, nunc magis flavedinem ostendit, et regione hepatis dolor obtusus. Mane semel vomuerat, et duas habuerat sellas, sanguine grumoso commixtas. Dominus BIDWELL primum hepatis affectioni subvenire animum attendit, mercurialibus medicamentis usurpandis. Sed post dies tres delirii tremensis, omnia symptomata sese ostendere, quæ narcoticis purgantibusque decessere.

Casus quatuor a Domine SUTTON memorantur, in quibus delirium tremens rheumatismo acuto, scarlatinæ, et typho superveniebant; ita ut alio adstante morbo, hujus accessioni nihil ob-

stet. Cum pectoris affectione, semel delirium tremens conjunctus, et casum ut in Nosocomio Edinburgensi observavi, memorabo.

MARIA FRAZER, ætat. 23.—26to Feb. 1816.

Cardialgia, vertigine, et tussi dolente cum expectoratione copiosa, materiæ viscidæ et flavæ, laborat. Dolore acuto afficitur sub mamma sinistra, qua tumor induratus est, et irregularis. Non facile expectorat. Spiritus anxius, difficilisque. Cibi imminutus appetitus siti comitante. Bene dormit. Cutis naturalis, sed intervallis sudore digeritur. Pulsus frequens et paulum durus. Lingua sordida. Alvus adstricta. Catamenia ut decent. Menses septem ante hoc tempus ex curru fuerat ejecta, et vehementer læsa. Paucos post dies dolorem pectoris sentit, adhibitæ sunt hirudines, in nosocomio admissa, ubi mensem permansit, et sana exivit. Morbo supra dicto octo dies ægrota-
verat.

Detrahetur sanguis brachio ad ʒxvii.

Injiciatur enema.

27mo Feb. Ægræ vesperi tam magna fuit molestia, ut facta esset statim vænesection. Sanguis missus fibrini lenem ostendit crustam. Hodie in latere sinistro maxime dolor. Pulsus frequens, parvus; lingua sicca, sed nitida. Alvus injectionibus respondit. Statim applicetur lateri vesicatorium. Habeat aurantia, et bibat de infusione sodæ phosphatis lacte. Aderit nutrix nocte.

28vo Feb. Vesperi phrenesis accedit, et subucula coarctabatur. Hoc statu totam per noctam restitit, alta voce clamans. Hodie meliuscule se habet. Sæpe bibit, et de pane cum lacte edit. Pulsus frequens; lingua nitida; nihil doloris nisi in manibus et brachiis, subuculæ forsitan effectus. Heri vesperi dosis adhibita phosphatis sodæ.

Detur iterum Sodæ phosph. \bar{z} i. ex aqua \bar{z} vi. vel vii.

Calendis Mar. Nunc restat, et paululum quieta decubuit, soluta subuncula. Salibus alvus respondit. Plus in vultu observatur tranquillitatis, et oculi non ut heri suffusi sunt. Ad alium Nosocomii locum commodiorem duca-

tur. Hic locus condiscipulis meis occludebatur. A nutrice autem admissus, quod de hoc casu observavi tradam.

Mar. 3. Mane hora tertia accedit phrenesis. Hoc tempore (meridiano) adest delirium, et actio convulsiva, quæ manuum tremoribus maxime constat. Respiratio difficilis et valde frequens. Quædam rogata intelligere videtur, nihil autem respondit. Præscripta erat mistura camphoratae ʒi quatuor indies. Oculi non arguto, sed anxietatis aspectu. Supina decumbit et quieta, nisi cum adsint tremores et subsultus; nunc faciei musculi spasmis distorti, paulo post oculi sursum spectantes, convulsi. Deglutatione impedita.

(Eodem die, vesperi.) Spasmi violentiores quam mane, respiratio difficilior et anxietas major, quanquam dolore negat. Delirio frequente mutit; et hic bene notandum huic ægræ adesse delirium, quod non de rebus domesticis locuta est*. MARIA FRAZER, de morte et de pecca-

* See SUTTON's Essay on Delirium Tremens, p. 57. where he brings forward, as a distinction between ma-

tis verba fecit, tanquam finis ejus aderat. "Millies," clamavit illa, "in sadapilis decumbunt, et in terra sepeliuntur, et vadam." Oculorum non ferox adspectus. Pulsus, ob tendinum subsultus, non facilis numerare. Per totum corpus multum sudoris.

Mar. 4. Non admissus certior factus sum a nutrice, ægram ut heri restare. Præscripta erat, mistura ex camphora gr. xii, cum myrrha, syrupo et aqua fontana.

Mar. 5. mane. Quieta decubuit, raro loquens. Interdum in coma dilabitur, supra facie halitus frigidus. Tendinum intervallis subsultus. Respiratio laboriosa. Vinum aqua commixtum præscribitur, ut ex lacte cum aqua biberet, sed non nisi tepida.

—5. vesperi. Comatosa decubuit. Cutis fervida. Pulsus 140 et plenus. Paulum vini hau-

nia and Delirium tremens, that in the latter, "the mind is occupied and worried about private affairs; and in this there must necessarily be some confusion of ideas; but this is the burthen of what the patients talk of in the exacerbation of the disease."

rit, sed plus noluit. Intervallis capitis supra pulvinum situm subito mutavit, sed nunquam revertit mens. Respiratio laboriosa, et interdum adfuerunt subsultus validi. Ante eam reliqui oculi fixi et hebetes, pupillis contractis, lux non oculis perceptus, os tanquam sanguinis effusione subnigrum.

Mar. 6. Hora una mane mortua est. Hæc puella fructus rure et urbe vendebat itinerans. Cum aberat delirium nutrici confitebatur, se liquoribus spirituosus libere uti, et per totum hebdomadam antequam morbum sentit ingurgitasse.

Ad hunc morbum curandum, notandæ tres indicationes sunt.

1. Ventriculum et intestina stimulare et eos ad rite eorum functiones perfungendas excitare: huic respondent emetica, purgantia, et quædam stimulantia.

2. Febri occurrere, sanguinis missione et affusionibus tepidis vel frigidis.

3. Irritationem tam mentis quam corporis sublevare, et hoc ad efficiendum valent narcotica.

1. Præsertim valent ea medicamenta, quorum auxilio, ex ventriculo et intestinis noxiæ materiæ evacuare queant, et his iterum induci sanitas. Ex ebrietatis consuetudine et præsertim ex alcoholis usu, ventriculi structura est læsa. "From this pernicious habit," ait STONE*, "the stomach has often been found with a smooth glass-like surface internally, the extremities of the vessels in the villous membrane having been abraded or absorbed, in consequence of the repeated irritation of the stimuli to which they have been imprudently exposed." Ex fibrarum ventriculi vel intestinorum debilitate, cibus in iis diutius justo detinetur; succus non sufficit, concoctio prava devenit, et corrumpuntur alimenta. Si res noxiæ in ventriculo vel in intestinis adsint, imprimis expelli debent, vel emeticis vel expurgantibus. Ebrietati convulsivæ (Ivresse convulsif,) de quo quædam supra dixi, scriptores Gallici emetica commendant. Et in ratione medendi ventriculum

* Practical Treatise, p. 94.

continuo esse evacuandum. Ad hoc efficiendum æger aquam tepidam debet bibere, et interdum in œsophagum pennam oleo madidam introducere. “Chaque fois que le malade vomit, la connoissance semble lui revenir un peu, mais bientôt apres il retombe dans le même état. On continue ces moyens ; on ajoute de l’huile ou du beurre fondu à l’eau tiede, on en fait avaler par flots ; on comprime legerement avec la main la region de l’estomac, et quand celui-ci est de nouveau rempli, il se debarasse plus ou moins. S’il ne le fait qu’ imparfaitement, on a recours à l’oximel scillitique, qui dans cette circonstance, agit presque aussi surement que le tartre stibié, et est exempt des inconveniens attachés à ce remède, si utile d’ailleurs dans tous le cas *.”

Tunc narratum est exemplum memorabile, quod emeticorum ex antimoniis periculum demonstrat.

C

* Dictionnaire des Scien. Med. Art. *Ivresse Convulsif.*

“ L’*ipecacuanha* n’a pas le même inconvenient que l’emetique, quoiqu’il ne faille pas y recourir inconsidérément. Il doit être l’ultimatum, lorsque l’eau tiede bu le plus copieusement possible, lorsque les substances grasses et l’oximel scillitique ont été sans effets, ou n’en ont produit que d’incomplets.”

Vix unquam emeticis utuntur delirio tremen-
ti nostrates, sed semper ut oportet purgantibus
evacuant. Ebriosis senibus quibus vita languescit, evacuantia mitia adhibeantur, ut sales et olea, ne catharticis acribus exhaureantur vires. Adultis purgantia fortiora prosunt, et omnibus hydrargyri sub-murias, quia comitantibus sæpe hepatis morbis, quibus occurrit hoc remedium.

2. In sanguinem mittendo, ægri vires bene æstimandæ ; nam in ebriosis senibus, quorum corpus debile est, et quibus observetur faciei pallor, pulsus debilis, cum aliis debilitatis signis, quæ plane ostendant non necesse esse missionem sanguinis. Sed hoc remedio utamur, adultis corpore valido, habitu plethorico, in quibus inflammationis vel congestionis signa se ma-

nifestunt. De ægro quem curavit Dominus MANSFORD, natus annos triginta quinque, et cui fuit forma athletica, sanguinis detractum fuit 3vi. Ante venæsectionem quærebatur æger de caloris et ponderis sensu in summo capite; pulsu pleno, sed cutis non calida, nec dolorem sentit. Subito mittebatur sanguis, sed debilitatis nec syncope ulla supervenerunt signa; ægro melius habere sibi persuadente. Paucos post horas ingravescebant signa, et tunc medicus, quum morbum delirium esse tremens cognosset, ei narcoticis occurrit, et æger post somnum sanus devenit. Casus a Domino PERRY memoratur, in quo sanguis mittebatur ex ægro adulto et athletico ad 3xvi*. Sanguis ex vena ruit cum impetu magno et celeritate, et dum fluit, plus quietus devenit æger, cesseruntque perspiratio ex collo et tremores. Quum igitur res ut supra dictæ se habeant, usurpatur scalpellum chirurgicum, sed eodem tempore appareant purgantia et narcotica.

* Med. Jour. vol. xxxi. p. 40.

Affusionem frigidum et tepidam valde commendat Doctor ARMSTRONG. Affusione frigida nunquam utitur nisi morbi initio, et quibus ægris corpus validum sit, et tam ante, quam post affusionem vinum cum aqua calidum adhibet, simul cutem lanulis calefactis fovens.

Cum adsunt debilitatis signa, intestinorum evacuationem primum commendat, dein aquæ tepidæ cum sodæ muriate valde impregnatos congios duos vel tres in totum corpus injiciendos, postea cutis lanulis calefactis fovenda.

3. *Narcotica.* In hoc morbo medicus ut irritationem et anxietatem imminueret atque sublevaret, toto cum animo incumbere debet. Somnus quo morte excepta hominibus non amicus melior, delirio tremente semper abest. Narcoticis procurandus, et opium præ omnibus valet; quod cum evacuantibus et calomelani bene adungi potest. Viribus ægri remedia semper sunt accommodanda. Cum adsit debilitas, longa ebrietatis consuetudine inducta, post intestinorum evacuationem et affusionem tepidam, tincturæ opii guttas XL vel L, in vini pauxillo calidi, secunda vel tertia quoque hora, donec super-

veniat somnus. Si symptomata mitigantur tantum, repetentur affusiones tepidæ, et exhibitio calomelani cum opio. Initio, ut primo vel secundo morbi die calomelani grana tres vel quatuor, cum opii grano et demidio, 6ta vel 8va quaque hora, adhibere sufficit, et postea minuitur opii dosis. Quanquam opium huic morbo validissime occurrit, tamen non est remedium specificum, nisi cum aliis sapienter conjunctum. Ejus usui præcedere debet intestinorum evacuatio, et adultis ebriosis prægressu usque ad finem morbi, cum opio purgantia adhibenda sunt. "Iis," dicit ARMSTRONG, "tempore diurno purgantibus cum affusionibus tepidis utor, nocte autem opio et calomelani et diæta levi præscriptis raro non curantur ægri. Quod ad vesicatoria attinet, nihil valent, irritationem et febrem augent, pervigilium et agitationem inducunt, et ægri imminuunt vires."

FINIS.



